

1524

ginta millia in leviores equites impenderet : ad hæc quinque illi aureorum millia ære publico penderentur ; eaque omnia decora , ac privilegia , quæ terrestrium copiarum imperatori- bus deferri solent , attributa sunt .

Nam vetere Reipublicæ instituto inolevit ; ut , quemadmo- dum navalium armorum suprema auctoritas penes patricios semper esset , qui , toga deposita , atque arma induiti proprio milite , atque indigenarum maritima peritia ingentia facinora edidere , imperiique Veneti fines in Orientis longinqua loca propagavere ; ita quæ ad terrestres pugnas tractandas spectant , exterorum ducum , quorum spectata in Rempublicam fides at- que eximia virtus præclaris bellicis actionibus emineret , im- perio , fidei , atque curæ committerentur . Cujus consilii ratio- nes eas plerique retulerunt , ut Veneti , qui pacem inter ci- ves , concordiamque semper summo studio aluisserent , quieti publicæ perperam consultum existimaverint , civibus tantum au- citoritatis impertiri ; exercitus subjcicere ; summæ omnium re- rum præficere ; ne dominandi assuetudine transversi clientelis , atque amicitiis nixi , popularique aura suffulti , opibus , at- que imperio in publicam aliquando perniciem abuterentur . Usu namque compertum fuisse , ab iis respuplicas sæpe labefac- tatas , ac pessumdatas , qui magnam auctoritatem nahti , ci- viumque privatas fortunas supergressi , sibi ad arripiendam do- minationem gradus struxere . Romanorum exempla documen- to esse , qui cum exercituum imperatoribus Rempublicam per- misissent , ii totis viribus ad dominandi libidinem , non ad imperii incrementa usi , patriam sanguine civili foedatam , ac domesticarum tempestatum fluctibus obrutam , suis parere con- siliis , ac nutibus coegere : quo circa nihil mirandum , si Ve- neti mortalium omnium publicæ libertatis studiosissimi , moderata imperia civibus tribuere , maritimaque gloria contenti terrestres copias exteris Ducibus subjecere . Verum non de- fuere , qui verius fortasse universam hujuscce instituti rationem non alio , quam ad tempestatum illarum statum referendam duxere , quo in Italia complures Principes , Respublicæ , ac Reguli imperabant ; qui que vel amplitudine familiae illustres , vel militari disciplina clari erant , affinitatibus , clientelis at- que amicitiis fulti quoscumque manu promptos , atque inge- nio